E. E. 20
13
63177/B
G. B. 40
D
6.18

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark

SCHENDO VANDERBECH,
M.

57

EMPIRICA ILLVSTRIS

PER SEPTEM NOBILISSIMA EVPORISTA FAMILIARIA

REMEDIA

AD TOTIDEM GRAVISSIMOS ET FREQVENTIORES MORBOS PROFLIGANDOS:

AVTHORE

MICHAELE SCHENDO
R. C. S. Eq. VANDERBECH

PHILOSOPH. ET MEDICIN. V. DOCTORE.

ADDITA AVTHORIS APOLOGIA ADVERSVS MAVROCORDATI *SYCOPHANTIAS*

PAR

LE DOCTEVR CONRADE DU SCHEBHEN

EDITIO ALTERA

PROTOTYPO LONDINENSI LONGE ELEGANTIOR AC EMENDATIOR.

LONDON·MED

AVGVSTÆ VINDELICORVM

APVD MERTZ ET MAYER,

CVM PERMISSV SVPERIORVM.

M DCC XXIII.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30550518

* * *

NIhil mihi unquam antiquius fuit quàm de Republica Litteraria Benemeritorum virorum amicitiam inire ac colere. Non is tamen ſum, quem facile decipiat ſecundus rumor; quantis imponere ſoleat ſcio ubi de merito ſtatuendum eſt. Itaque perſpectum mihi dudum celeberrimi Doctoris SCHENDO VANDERBECH Ingenium perſpicaciſſimum ac ſingularis in ſcientiis ferme omnibus eruditio, quam antehac ex editis aliquot argumenti rarioris opuſculis ſola famæ commendatione acceperam, curioſum ac experiendi avidum animum impulerè ut cum ſolertiſſimum virum longo tot itinerum ac rerum uſu omnibus commendabilem ad ſtabiliendum epiſtolare mecum commercium provocarem, dum in pacatiſſimo muſarum ſeceſſu liberum curis omnibus animum ad politiores litteras cogebatur impendere, phiſicis me ſæpe deliciis recreando ac in imis

naturæ receſſibus abdita, per experimenta chymica recludendo, adeo mea officioſiſſime impleverit deſideria, ut eà qua me dignabatur amicitia, ne unquam exciderem ſollicitus ſemper fuerim. Ejusdem interea nolo ſauciare modeſtiam, ſed quædam Publico hujus Opuſculi occaſione communicanda amicitiæ leges non ſuadent modo, verum etiam exigunt.

Quintus jam volvitur annus ex quo aſſiduis lucubrationibus ac indefeſſis laboribus diu meditatum ex ampliſſimo univerſæ Medicinæ apparatu VNIVERSALE LEXICON CRITICVM maturabat, & dum opus publicæ utilitati ſudatum fermeque abſolutum anno elapſo poliendum ſuſceperat, haud parvo Litterariæ Reipublicæ detrimento factum ut Vaivoda MAVROCORDATVS facie ac corde nigrior quam nomine, rapiendis Authoris fortunis de more inhians, doloſè circumventum, dein calumniis impudenter petitum non ſolum potiori rerum parte, Bibliotheca ac Manuſcriptis ſpoliare, ſed & adverſus ejusdem famam ea ſit auſus inverecunde moliri, quæ Vanderbechianos labores fruſtrarent, publicas expectationes eluderent, noſtrasque querelas juſtiſſimas extorquerent. Violentos equidem hujuſce Valachicæ Harpiæ ungues ac caninos dentes,

quibus

quibus innocentis fortunas ac famam flagitioſiſſime laceravit, vel Stoico ſtomacho concoquere potuiſſem, niſi me potius Sapientiſſimi Regis authoritate in Proverbiis allectum, prohibentis ne ſilentio Amicus Integerrimus veritatem deſeruiſſe, vel propriæ famæ atque fortunæ quibus nil carius nil ſanctius cuiquam ingenuo eſſe debet, defuiſſe videatur, ad juſtam amici defenſionem lex, ut ait Tullius, non ſcripta ſed nata ſollicitaret. Quàdam ergo honoris ac Innocentiæ neceſſitate proderit oſtendiſſe quàm fatuus ſit iſte Nebulo, proderit non tacere quoties talis loqui cogit, qui ex noſtro ſilentio redderetur inſolentior, poſſetque gloriari nos minime auſos fuiſſe ejusdem calumnias ac injurias repulſare, quibus excuſandæ nequitiæ facilitas facinoroſum induxit ut opprimeret innocentiam. Candida itaque narratione tropheum veritati figere ſtatui, habet enim quemdam veluti aculeum contumelia quam pati prudentes atque viri boni minime poſſunt.

Anno 1718. Sapientiſſimo ac Præclariſſimo Viro JOANNE ABRAMI Doctoris Vanderbech Avunculo deſideratiſſimo Cis-Alutanæ Valachiæ, quæ bello feliciter confecto in Glorioſiſſimam Auſtriacam Poteſtatem devolvebatur, ad Auguſtiſſimum Cæſarem Depu-

tato, Viennæ fatis functo, afflictiſſimus Nepos adeundæ hæreditatis cauſa in Transſylvaniam migrare cogebatur; ſed ob contagii peſtilentis impedimenta Vrbe Stephanopoli, in qua occluſæ res Avunculi detinebantur reddita inacceſsà, diuturnioris moræ pertæſus cum in Germaniam, difficiliorem ea temporum conditione reditum meditaretur, in Supremi Armorum Cæſareorum in Transſylvania Præfecti, ac campi Mareſchalli Comitis STAINVILLE Aulam adeo humaniter ac gratioſe ſuſcipiebatur, ut eidem laboribus chymicis aliunde addictiſſimo perquam acceptus in neo-acquiſitam Cis-Alutanam Valachiam pro Politica ac Militari Provinciæ ſtabilienda adminiſtratione, anno 1719. numeroſo aulæ comitatu intranti, ſua Medica perſonalia ſervitia requiſitus citra inofficioſi animi notam denegare nequiverit.

Graſſabatur interea trans-Alutam diro magis eventu peſtifera lues, quæ de gentium barbararum more, nullo politico aut medico regimine coercita, plurima intra breve ſpatium hominum millia rapidiſſime demetebat. Neque Maurocordato, veneno ut paſſim dicitur, Vajvodæ Fratri è vivis ſublato, tunc proxime ſuccedenti parcendum videbatur; cum peſtis quæ ejusdem Gynecæum occupaverat aliquot Concubinis ac

ac Spadonibus immolatis, deteriora in ea illiciti concubitus communione minaretur. Salaciſſimum etenim Vajvodam ob exitialem in venereis intemperantiam, tunc angue pejus ſi unquam magis vitandam, in ſceleratas voluptates natura proclivior calidioribus febribus enervata in anceps vitæ diſcrimen conjecerat. In ea experti medici ac medicamentorum inopia ſuſpecto ingruente morbo per aliquot præcipuos à Maurocordato delegatos domeſticos Cæſareus Krajovæ degens Mareſchallus demiſſis ac fervidis officiis ſollicitabatur, ut per Doctorem Vanderbech, cujus in medendo dexteritatem ac experientiam per famam minime ambiguam hauſerat, periclitanti vitæ ſuppetias ferendas humaniter indulgeret. Malluit honeſtiſſimus Præfectus hanc chriſtianæ virtutis ſpecimen homini barbaro exhibendi occaſionem proprio præferre commodo, & licet adeo periculoſo tempore aulam medico deſtituendam interim ſciret, Doctorem ad iter per expeditos equos ſuſcipiendum urgere non hæſit. Verebatur equidem vel primo in ſtadio accinctus itineri Medicus ſe dubiæ Vaivodæ fidei committere, quem adverſus Avunculi vitam, utpote Cæſaris Auguſtiſſimi partibus addicti, inſidias intentaſſe, barbaroque pinguis inurbani ac maletornati ingenii homini amica ac familiaria eſſe crimina ex accurata

ANTONII DE CLARO Valachiæ Hiſtoria paulo ante Venetiis impreſſa ſatis conſtaret. Sed firmato à Cæſarianis animo Bukureſtinum perveniebat, ubi & applicatis ad indolem morbi opportunis ac congruis una ſecum adductis remediis poſt octodecim dierum fatigia ægrotantem reſtituebat. Morbum videlicet quo vel juſtiores cadere poſſunt (brevi forſan lictorum occupandum officio) diſcuſſit. Jure etenim merito indoluiſſet diu afflicta atque oppreſſa Valachia ad tot vexatæ plebis querelas, lectum expiranti conceſſum cui tot ſceleribus ac inutilibus toties miſerorum gemitibus auſpicatum patibulum reſervaretur. Cùm Vaivodæ Genium periculi metu ac longa maceratum infirmitate experiri nondum in ſua genuina indole licuiſſet, decantatam tamen Juliani Apoſtatæ Phiſiognomiam, quam primo intuitu in infirmo Vaivoda vix bene diſtinxerat, ſenſim cum viribus redeuntem curioſis oculis excipiebat miratus longa calliditate obductam nequitiam vultum ac animum Protheo mutabiliorem ad fallendos incautos mutuaſſe. Et licet ſciret in abjectiori tumidiorem eſſe ſolere arrogantiam, nulloſque deterius dominari quàm quos ad ſerviendum natura creavit, quam tamen nondum expertus erat connaturalem Vaivodæ malitiam, aſſentatorum dolis ac improborum, quibus vel maxime dele-

delectabatur, hominum contubernio imputandam duxit, ratus ſordidis conſiliis corruptam ejusdem fidem ac felicem tot dolis nequitiam in ea regione ubi, quod libet licet quodammodo excuſandam. Hinc adæquatis muneribus decoratus adeo brevi mora Maurocordati corticem haud nucleum intuitus Bukureſtinis paludibus valedicebat. Quantam verumtamen artis ac ſcientiæ opinionem apud Maurocordatum lucratus exinde fuerit noſter Vanderbech frequentes uſque ad annum 1720. Vaivodæ in Germaniam epiſtolæ ſatis evicerunt: Illarum quippe aſſiduis illecebris ac ampliſſimis deceptus pollicitationibus cum ſe in Provinciæ Archiatrum Vniverſæ Valachiæ votis ſuſceptum, ad capeſcendum iter rogari atque urgeri intelligeret, diù cum amicis diſſuadentibus, ac illud Virgilianum.

„ *Heu fuge crudeles Terras fuge Littus Avarum.*

ingeminantibus colluctatus abitum deliberavit. Neque enim ipſum latere poterat in trans-Alutana Valachia peregrinis inſtar canis Niliaci nonniſi fugiendo aquas eſſe lambendas; fatalem tot medicis terram vitandam eſſe, à qua tot in arte periti FERRATVS, FONSECCA, HIPPOMENA TRAPEZVNTIVS vel ob fidelia & Aſſi-

dua erga illuſtres BRANCOVANÆ Familiæ reliquias grati animi peracta officia, vel alio quocumque titulo exoſus, aliique quamplurimi non absque parvo fortunarum detrimento ob nefarias Vaivodæ ſuſpiciones abeſſe cogebantur. Filium licet Medici Maurocordatum in Medicorum exitium atque perniciem haud ſemel conſpiraſſe, in promiſſis nempe verboſum poſtquam tot incautis ſpem fecerat, tandem inconſtantem non ſolum deſtituiſſe ſed & flagitioſe oppreſſiſſe. Mirabamur equidem Vanderbech alias docilis naturæ virum in ſua perſtitiſſe ſententia ut præconcepta facilis in ea ab humano commercio penitus ſequeſtrata ſtatione ſtudiorum ac perficiendarum meditationum occaſio imminentibus undequaque periculis prævaluerit.

Itaquè anno 1721. cùm conditionibus invidendis ad CZARIANÆ AVLÆ ſollicitaretur ſervitia deliberatum iter minime retractavit, ſed Pharmacopolio ſelectiſſimo, Apothecario, Chirurgo & Amanuenſibus ad Vaivodæ nutus proprio ære ſub ſpe promptiſſimæ refuſionis comparatis, compendioſa inſuper Bibliotheca, omnique ad honeſtam ac commodiorem vitam neceſſaria ſuppelectili inſtructus nullis parcendum expenſis putavit ut navim ex majoribus unam Viennæ conducens ſecundante Dannubio infauſtam

fauſtam Valachiam, ad quam utinam nunquam apuliſſet, adiret. Dannubianis ergo vorticibus & cataractis non absque periculo ſuperatis, intra menſtruum ſpatium Bukureſtinum pertingebat, ubi pretioſis ac peregrinis diſtributis muneribus reſſiduam quam ſecum adduxerat pecuniam pro veſtibus Orientalium more mutandis, Vaivoda mandante dilapidare conſtringebatur. Ita videlicet natura vel fato comparatum erat ut ex aliena nequitia ac proprio damno jam cautior, neglecta amicorum conſilia ſerà pœnitentia expiaret. Difficilem enim vel ipſo primo in aditu Vaivodam experiebatur dum pro variis ad ejus nutum coemptis, pecuniæ trium millium Rhenenſium ſummam æquantis refuſionem urgeret. Ærarium exhauſtum in meditati ſceleris larvam incuſabat, aliena culpa procraſtinatam ſatisfactionem minus æquo non eſſe animo tolerandam, non citra nauſeam ingeminabat, aliaque hujus indolis futilia commenta quibus illico meruit pro ſuſpecto haberi. Valachi interea quibus per enormium tributorum onera ſublatà non ſemel ſuppelectili paupertas imperabatur, in vacuis focis cogebantur vitæ pertæſi parcam in remedium vocare. Implebant carceres egeni ut inopiæ ſuæ pænas luerent, & dum pauperum creator ſimul & tortor vel leviſſima vitæ ſubſidia miſeris aveleret, in ditiores

ad

ad arbitrium ſæviendo, ita Magni Sultani peculium ipſi concreditum ad propriam libidinem expilabat ut ad prædam ex rapinis ingentibus natum putaſſes. Valachia ſiquidem ſe licet miſeram ſciat, diuturna tamen trium annorum patientia ſub Maurocordato cervicem flexit, & niſi ſpongiam hanc per tot provinciæ ſpolia ſupra modum inflatam brevi comprimendam ſperaret, ſub ea tributorum mole ad vitæ fortunæque injurias propulſandas deſperationem egeſtas, deſperatio audaciam dudum feciſſet. BRANCOVANÆ atque KANTAKVZENÆ Familiæ Illuſtriſſimæ, Heroumque Orientalium Reliquiæ per Maurocordati fraudes ac perverſas proditionum technas deletæ; BALACCIANVS ac BRASOIANVS innocenter & tumultuarie decollati quos igneis oculis per longum tempus intuitus abominanda voluptate fruebatur & ſuum veluti ſcelus guſtabat; ARCHIEPISCOPVS ANTHIMVS Piiſſimus ac Religioſiſſimus Paſtor, cujus ſanguine ſacrilegas temerare manus non horruit; & noviſſimus vir de utraque provincia meritiſſimus THESAVRARIVS GREGORIVS quem direptis opibus è filiorum ac uxoris amplexibus divulſum in clauſtrali cavea occludendum damnavit; jamdiu cœperunt eſſe apud Valachos æterni odii materia. Tranſactæ captivitatis recentem

adhuc

adhuc imaginem Sardanapalum hunc inter voluptatum propudia turpiter enutritum ad ſceleſtos ac belluinos mores, quibus Vaivodæ dignitatem penitus infamavit, ſi non corrigendos ſaltem cicurandos inducturam fruſtra ſperaverant : Nunquid enim mutabit Maurus aut Æthiops pellem ſuam aut Pardus maculas ſuas ? Hinc aliorum miſeriis denuo ſaginatus, cum inſoleſcant ſucceſſu ſcelera, Laomedontis periuria, Vlyſſis mendacia, Synonis fallacias & fidem Polymneſtoris exercere gloriabatur ſub Mercurio ſe natum prædicans quod ſydus & longos ſcilicet daret digitos & ingenium ad fraudes furtumque acueret. Intolerandæ Superbiæ ſpectaculum cachinnis excipiebant Byſantini, qui cum Maurocordati Avum è fœce vulgi, Parentem olim humilis fortunæ Medicum noſſent, proprii dedecoris conſcium Vaivodam futile nomen in juſtiſſimum patrimonium uſurpantem & in antiquiorem Italicam SCARLATTI familiam ſe inſerere auſum, putatitias emendicare cognationes mutuatis in generis fraudem titulis vituperabant, ut priſtini ſtatus ac conſanguineæ paupertatis quæ in ejus cognatione Carbonum ac Pecorum adhuc alitur Mercimoniis non videretur meminiſſe. Quis fuiſſet jam exteri aliquot ignoraſſent, ſtirpis maculam quam velabat novus ſplendor, mutatum quoque

non

non infelici induſtria nomen vix animadvertiſſent, niſi ſuperbiam viri ad ſua natalia revocandam illud lepidiſſimi capitis artificium expoſtulaſſet. Quot enim in Valachia avarus furta, crudelis cædes, ſalaciſſimus ſordes perpetraverit, volumen integrum, Eruditum orbem certiorem fecit, ut JOANNIS CLERICI in menſtruis ſuis Amſtelædamenſibus relationibus litterariam rempublicam fallendi conatus adæquata trutina librare poſſit. Hic ſcilicet Mendoſus Cenſor, & Scarabæus Criticus, qui infamem lucraturus famam, Trinitatem Auguſtini Somnium ac Monſtrum Triceps blaſphæma Socinianismi phraſi appellare non dubitavit, cum Palladem ſuam Venalem habeat, centum ſupra viginti acceptis à Maurocordato in Soſtrum aureis infatuatus Mercenarium calamum ad ſordidam Palinodiam ſtringere non erubuit, inſigniter ac impudenter mentitus dum tot vitiis corruptum Maurocordatum tot laborantem deliramentis ſub Sapientiæ nomine illuſtri Litteratorum choro inſerendum cenſuit. Riſerunt non pauci Vaivodæ pruritum ac ambitionem perverſa via famam quærere geſtientis, & dum panem filiorum ſumeret ac canibus cauda blandientibus mitteret, turpem adulationem mendicantis quia deſtituebatur à laude, quod & Clericus ſuo conſulturus nomini haud egiſſet niſi deſtitueretur

tur à ſorte. Poſteaquam enim nefariis hominibus circumceptus, de DEO imaniter loquutus, pietatem ac ſacra in palmam obſcænitatis palam derideret, meruiſſetque à Turcis MVSERIN (quo nomine ATHEOS indigitant) apellari, ne ob divinorum contemptum inſidiarum occaſio in mentes Dynaſtarum irreperet, de oſtentanda ad exprobrantis Ecclesiæ Græcæ conſpectum religione cœpit ſollicitus eſſe. Itaque ut in publicum compoſito ad pietatem vultu, ſtoicoque per typum veſtigio procederet, arrepto antiquo quodam ex variis demortui parentis Manuſcriptis Codicibus libello DE CHRISTIANI HOMINIS OFFICIO tractante, Pædagogicum illud περὶ τῶν καθηκόντων Opuſculum ex meris S. S. Patrum ac Bibliorum ſusque deque conſarcinatis citationibus centonatum, atque adeo Baſiliani Monachi aut Sinaitæ alicujus cucullo congruum ſub proprio nomine Bukureſtinis prælis ſubjecit. Hujus præterea furfuris libellum alterum ſub titulo Φιλοθέȣ πάρεργα, iuſigni BIGNONIO transmiſſum & à Clerico pro ſingulis Gallicæ Traductionis foliis, aureis duobus conducto mutatà in Κυπο-σοφιςαῖ facie in Hollandia brevi imprimendum ſuſcepit. Nonnullos verumtamen ſpiſſos ac erubeſcendos errores quibus libellus ille DE OFFICIIS ſcatet, ad hunc perverſi do-

gmatis

gmatis Phariſeum unctum Oleo nequitiæ, ſi author eſſet, cunfundendum in apricum producerem, niſi eosdem latina corniculæ hujus Æſopicæ ſumptibus per quemdam æque famelicum Pædagogum in Valachiam conductum BERGLERVM, addita loco præfationis pedeſtri quàdam Panegiri, Lipſiæ impreſſa traductio cuicumque vel leviter animadvertenti Lectori ante oculos ſiſteret: Vtque de Authore hactenus diſputato non dubitaretur ulterius, Maurocordati effigiem Chalcographi palliatam mendaciis addidiſſet. Alienos vultus loco ſui Vaivodam non puduit emiſſe ab artifice, qui ad ejus arbitrium imaginem efformando, non qualis eſſet ſed qualis eſſe deberet remotis exteris exhiberetur. Neque ullum eſurientes iſti laudum Cauponatores prætermiſerunt officium ut ejusdem quem ſuæ plurimum laudes mulcebant auream gratiam aucuparentur; ſed & fictis PETROBVRGO epiſtolis, publico impoſuerunt in litterariis Eruditorum relationibus evulgando: Maurocordatum duo novi ac rarioris argumenti volumina proximo tradenda prælo abſolviſſe: quorum unum cauſas Incrementi & Decrementi Imperii Ottomannici complecteretur; alterum Daciam Novam & Veterem curioſis antiquæ Hiſtoriæ amatoribus ſiſteret. Sed proh nænias & inania maleferiati petulantiſſimique

cerebri

cerebri commenta ! Maurocordatus qui vix latinam linguam balbutire novit, Opera variam & profundam authorum ſelectiſſimorum notitiam & Judicium præſupponentia latino ſtilo exarare præſumet ? Ottomannici decrementi cauſas typis exponendas aſſumet ut Capiſtrum faucibus reſervatum tali fœtu acceleraret ? De antiqua Dacia ſcribendum ſuſcipiet ? qui ad Inſcriptiones antiquas, Numiſmata ac monumenta vetuſtatis interpretanda Ὀνός πρός λύραν vocari meretur. Vt verò tamquam Plagiarium illum quoque plagis afficiendum evincam, publico nequaquam reticendum duxi: Præclariſſimum ac Famigeratiſſimum KÖLESERI DE KERES-EER Principatus Transſylvanici Secretarium, ſuæ AVRARIÆ DACICÆ aureo plane opuſculo, DACICÆ PESTIS SCRVTINIO, FEBRILI PROTHEO, HECATHENE ac THERMOCRENE DACICA dudum litterariæ reipublicæ commendatum, in illuſtranda Dacia, quam ferme totam variis excurſionibus peragratam, diverſorum, quibus ſemper egregie functus eſt munerum occaſione dilucidatam ex Archivis, Codicibus, Monumentis, Inſcriptionibus, aliisque Lapidariæ ac Nummariæ Hiſtoriæ ſubſidiis longa praxi diuturnisque ſtudiis hauſerat, indefeſſum, ante tres annos Doctori Vanderbech Transſylva-

niam tunc primo inviſenti, mutuisque ſæpius tanti viri colloquiis ſe recreanti, Opus illud Tripartitum DE DACIA ROMANA, HVNNO-DACIA, ac hodierna DACIA AVGVSTA, licet nondum abſolutum ultimamque expectans manum communicaſſe. Cujus eruditorum plauſu ac expectatione digni operis certior ab eodem factus ac per Authoris epiſtolas confirmatus Maurocordatus impudentiſſimum illud Plagium commiſerat: ut licet res non haberet, ſed inanes dumtaxat rerum titulos uſurpaſſet, ea tamen acquirendi nominis vanitate ſuam litterariam ſolaretur inopiam. Oh Adulatores ſervum pecus! Injuria ſibi mercedem abjectiſſimi homines nundinantur: ita enim Maurocordatum laudaſſe luſiſſe eſt: Digni èapropter quibus fuſte non nummis promeritum ſolveretur redhoſtimentum. Annon probabilius credendum de *CELSISSIMO* ac *SAPIENTISSIMO* PRINCIPE DEMETRIO KANTARMIRIO meritiſſime ſcriptas *PETROBVRGO* laudes, hos Officioſos Mendaces Maurocordato applicare voluiſſe & ſic ridiculo Pumilioni Gigantis Cothurnos adaptare quodammodo præſumpſiſſe? Quis enim in orbe adeo peregrinus eſt qui *ERVDITISSIMVM* KANTARMIRIVM Hellenicæ, Illyricæ, Turcicæ, Arabicæ, Perſicæ, Latinæ, Italicæ,

Gal-

Gallicæ Linguarum peritiſſimum, in Scientiis omnibus ultra fidem profunde inſtructiſſimum, GLORIOSISSIMI RVSSORVM IMPERATORIS Litterarias Delicias efficere, & ſumptuoſe nuper erectis Magni Imperii Athenæis præſidere ignoret?

Quamquam dicta factis deficientibus erubeſcerent, tumentis gloriæ vento inflatus laudumque cupidine & famæ creſcentis mendacio paſtus Vaivoda ut aliquem de ſe penes ſimpliciores litterarum odorem ſpargeret, ampliſſimam per Clericum facilè indocto pro gemmis encauſta ſubſtituentem, conflavit Bibliothecam. Ea verumtamen illi tota barbara eſt; neque hominem libri novere, neque homo libros, quos non ad ſuos uſus ſed ad ſpectaculum congregavit: ab iis ſibi quotidie ſuam exprobrari inſcitiam ſentiens ac inter libros turpiorem eſſe ignorantiam, quam ſi longe ab illis ſorderet. Quippe non quicumque venaticos canes poſſidet venator eſt, multis ſufficit ea impenſa famam quærere. Magna Bibliotheca absque ſtudio litteraria eſt quædam Hypocriſis illis apprimè competens:

„*Qui Curios ſimulant & Bacchanalia vivunt.*

Hinc ſi ex librorum copia Scientiæ titulum arrogare, & propter Græcam ac Turcicam linguas vel Agaſonibus & Lixis in Oriente communes familiaresque, Vaivodam tamquam omnium linguarum Gazophilacium, ac novum noſtri ſeculi Mitridatem proclamare, vel ex barba philoſophum arguere liceat, tunc trium litterarum homo Maurocordatus, cujus tota vivendi ratio Barbarismus, Piiſſimus Clementiſſimus Wolffiana phraſi, vel ſi mavis Modernum Orientis Oraculum ab iis, qui non virtutem ſed fungoſam fortunam in eo venerantur, magnis ampullis pronunciandus. Germani verumtamen ac Transſylvani non pauci longe aliter mehercle ſentient, qui Vaivodæ captivi contubernio uſi tot in eo ineptias detexerunt ut non apud extremos Indos, Æliano de Animalibus referente, pro Aſinis Purpureo Capite conſpiciendis transmigrandum eſſe cenſerent. Proderat itaque illud Marcelli Palingenii repetere

„*Quot Bipedes aurum, quot purpura veſtit Aſellos!*

cùm videretur aliquibus famis Samaritanæ tempora in Valachiam rediiſſe, qua premente non octuaginta tantum Argenteis, ſed octuaginta Florenorum millibus, pro Maurocordati in Vaivodam ſecuta nupera confirmatione, Caput Aſini venundabatur: Adeo

ſcili-

ſcilicet Aſininis Capitibus nec tribus Anticyris perſanandis pretium acceſſerat.

In hàc miſeræ Valachiæ facie ac præpoſtera Vaivodæ adminiſtratione implicatus Vanderbech priſtina ſibi Halcyonia libertatis auſpicabatur ; & quod ab aliis toties incredulus Auditor hauſerat, attonitis oculis excipiebat ; quem ingenio ac ſcientia Aquilam promulgarunt aſſentatores, Veſpertilionem ac planè Bæotiæ Colonum reperiſſe conqueſtus : Inſincerum debilem phantaſticum ſuſpicioſum, uno verbo ad quodcumque patrandum facinus audaciorem. Quid enim honeſti expectandum ab illo ſupererat, qui unicam quam ſummè diligebat filiolam, mancipio, ſeu ut aliis audit ex Concubina SMERAGDA Molitoris olim Vxore Spurio, JOANNI KARMINARIO KAMERASSIO inceſtuoſo Hymenæo deſponſabat ? Quid modeſti ab illo ſperandum, quem ſui propemodum oblitum in altiores cogitationes evexerat adulatio ? Panegyricis aſſuetus neminem admittebat niſi abjectiſſimo laudum ſervitio ac grato mendaciorum ſuſurro hujus Valachici Mydæ aures demulcere ſtuduiſſet. Quid de illius probitate ſentiendum ? cui vel ipſos è ſorore nepotes, Byſantinos egregiæ ſpei Juvenes, aut opprimere aut perdere ſæpius conato, cùm ton-

dendæ non deglubendæ ab aula Turcica oves concrederentur, refertam venenis arculam Doctori oſtendere veritus nequaquam fuerit: illud inſuper addendo ſe in hiſce difficiliorum temporum anguſtiis expenſarum compendia quærentem, armamentarium adverſus Satrapas in Loculis illis inſtructiſſimum comparaſſe ut nimirum Valachos ipſius vitulo non arantes, & juxta Orientalium Aularum conſuetudinem, oblatam honoris ergo, Turcici Cavvheë ſorbillationem citra piaculum recuſare non audentes, quoties politica barbaries exigeret, absque ſtrepitu immolandi media præſentiſſima nequaquam deficerent. Scelera ſceleribus cumulabantur, & dum inſidiaretur ut raperet quaſi Leo in Spelunca ſua, ut damnatas ſingulorum opes audacius diriperet, perditiſſimos Ganeones quos nunquam ad ſatietatem perpotaſſe fama eſt, NICOLAVM WOLFFIVM POLONVM, ANTONIVM EPIS ITALVM, ac recutitum quemdam JVDÆVM PISANVM in calumniarum partem vocabat. Per hos bibaciſſimos hymnum Baccho canere aptiores, ac propter morum parallelismum ipſi gratiſſimos innocentibus crimina affingebantur: Valachi verò veluti Ophitæ Serpentem nutrientes in ſpelunca Bukureſtina Maurocordatum venerabantur, qui verborum uſque tyrannus habitus Vanderbechio quale-

qualecumque cum ipſis colloquium interdicebat. Ægrotantem interea ejusdem natu Majorem ſtolidioris indolis ac ovis blæſi juvenem, adeoque *κακοῦ Κορὰκȣ ηακὸν ὀων*, cujus formandis moribus, (licet ſciret vitandum eſſe Italum Ruffum) prætitulatus ANTONIVS EPIS ob delictum furti in domo Cæſareæ adminiſtrationis Banni patratum ſupplicio affigendus ex Transſylvania in Valachiam profugus pro Inſtructore præfigebatur, Flium curabat; & amputatis ferri ac ignis felici miniſterio criſtoſis aliquot Condylomatibus, dignis nefandi illius flagitii verrucoſo-ficoſis excreſcentiis, quod vel nominaſſe culpa prope eſt vel pudoris injuria, laborantem reſtituebat; Minoremque natu Morbo Comitiali hæreditario ac Sporadico dudum affectum ita perſanabat, ut nullo per ſex integros menſes ingruente mox paroxysmo, lætus parens haud mediocrem compenſationem publice polliceretur. Quare emeritus noſter Vanderbech, neque de illorum Medicorum numero, de quo Themiſonem Sectæ Methodicæ Coriphæum extitiſſe tritus ille teſtatur Juvenalis verſiculus:

„*Quot Themiſon ægros Autumno occiderit uno?*

Sed ob felicitatem praxeos, in cujus amplitudine nec unicum per tot menſes denatum recenſeri contigit, Valachis commendatiſſimus, cùm ſe alendum in Prytaneo jam crederet, ac niſi præmia, expoſitæ ſaltem pecuniæ refuſionem præſtolaretur; dum à Maurocordato ſollicitatus adverſus ſua ferventiſſima erga Auguſtiſſimam Cæſaream Aulam obſequia, conſilium manumque dare ardentius reluctaret, & oblatam non citra præmium ſpeciali SVPREMI VEZIRII mandato politicam quamdam Conſtantinopolim verſus excurſionem chriſtiana & generoſa fronte renunciaret, nec defuturam citra crimina Medico ubique honeſtam Conditionem, ſuſcipiendamque potius cum Iſocrate juſtam paupertatem quàm divitias injuſtas conſtanter aſſereret: arrepto favorabili in Turcica ditione prætextu non Deum aut Innocentiam reveritus tamquam perniciosi cum finitimis commercii reum non ſolum Cæſareis Paſſualibus, activis atque paſſivis Obligatoriis Syngraphis, Faſſionalibus & Atteſtatoriis Schedulis Manuſcriptisque omnibus ſpoliavit, ſed & reliquis præter veſtes direptis fortunis, pecuniisque expilatis ad incitas ferme redactum, infructuoſis perque medium annum protractis laboribus fatigatum in Transſylvaniam intrare & pro veræ virtutis præmiis falſi criminis pœnas ſubire coegit. „ *Cum*

„ *Cum poſcit Medicus præmia: Vade Sathan.*

Vbi enim beneficii oblivio ſemel invaſerat, dudum cœperat ingratus Vaivodæ animus de injuria etiam ultro inferenda cogitare: Cupiditas accipiendorum oblivionem fecit acceptorum: atque ut verba momentum haberent in impudentiæ palæſtra dudum emeritus, Helluones à popinæ nidore adhuc fumantes & ad obſequium conductos teſtes coram Valachis hoſpitalitatis jura violata muſſitantibus impoſtorio modo produxit. Facilior profecto uſurpatio ubi illam nulla lex nullum forum vindicat; quantum putas in ea delicti tutela laborare innocentiam. Nec Bukureſtino ſpolio ejusdem ſatiata ingluvies, ſed per Monaſterii Marzinianenſis Abbatem CORNELIVM Depoſitarium rerum ab Avunculo Abramio Stephanopoli relictarum, ſex ciſtas pretioſa refertas ſuppelectili ex civitate Cæſarea vigente fœdere fraudolenter ac ſubdolè in Turcicam ditionem tranſtulit.

Inter has fortunarum ærumnas infractus Vanderbechianus animus chriſtiana jamdudum loricatus philoſophia, verba Davidis ad Saulem in calamitatum ſolatium uſurpabat: JVDICET DOMINVS INTER TE ET ME, ET VLCISCATVR ME

DOMINVS EX TE : ſciens ex Jobo, quod brevi divitias quas devoravit evomet, & de ventre illius extrahet eas DEVS. Verumtamen Vaivoda Doctorem gratioſè à Cæſareis exceptum audiens, officioſæque humanitatis conteſtationibus ejusdem infortuniis non modo VIRMONDTIVM COMITEM, magnum Cæſaris ad Aulam Turcicam Legatum, mox verò Supremum Transſylvaniæ Præfectum, Genuinum æque Eruditorum virorum Æſtimatorem ac Byſantinarum cavillationum apprimè gnarum, qui aulicam lautiſſime inſtructam menſam ipſi patentem quotidie eſſe voluit; ſed & AVLICO-BELLICVM SECRETARIVM DE RVESCH Virum equidem amplioris fortunæ capacem ac unicum inter Germanos ſuperſtitem adhuc rerum Cæſarearum in Transſylvania promovendarum aſſertorem ſtrenuum ac vindicem, qui à gravi olim morbo per Vanderbechium reſtitutus, quod eidem in hac poſtrema calamitate uberrima grati ingenuique animi officia exhibuerit, Vaivodæ odium ac querelas promeruit; unà cum reliquis Cordatis viris præcipuos compati ſentiens, ſui præcipitis judicii comitem pœnitentiam oſtenderat, dum ſerò cum Phrygibus ſapiens per Emiſſarios privatam quamdam conventionem ſeu transactionem pro perpetuo illatorum

damno-

damnorum indicendo ſilentio anxius urgeret. Sed Infido non eſſe iterandam fidem reſponſi loco per eosdem accipiens, ruptis omnibus honeſtatis repagulis, omnique abdicato pudore eò dementiſſimæ impudentiæ devenit ut per ſcelera ſceleribus tutum ſemper fore iter ratus, dum criminis occultandi ſpes aliqua afulſerat, nigram poſt tres menſes calumniam in hebdomadariis publicarum relationum foliis machinaretur. Itaque Mendacium & dolum DIABOLI qui Græcè CALVMNIATOREM ſonat attributa mutuatus, per Clericum triginta aureis faſcinatum inſerto Amſtelædamenſibus relationibus ordinariis articulo, Vanderbechium æquiori jure Laureatum Doctorem, quàm Maurocordati parens extiterit (qui ob plurima in Italia perpetrata facinora in exilium pulſus, promotionis ac Laureæ honoribus caruit) Veneficii accuſavit; hoc ſimplici aſſerto honeſti viri famam uno veluti ictu amputari poſſe arbitratus. Quamdiù Tokaienſia, Budenſia, aliaque ſelectiſſima Hungaricæ ditionis Phalerna à Doctore in munus oblata (quibus Maurocordatus donec vel gutta ſuperſtes ſe alacriter ingurgitavit) ſupererant, & Bellaria Cocolatæ Saccharacea Aromata alique hujusmodi peregrina Condimenta Vaivodæ menſam inſtruebant, nulla de veneno latitante ſuſpicio? Poſteaquam

quam exhauſta omnia debitam reparationem expoſcerent, periculoſa quæ ad reſarciendam pecuniam ſuggerebantur mangonia conſtanter recuſarentur, & illæ primò inſimulatæ Calumniæ in utraque Dacia reprobarentur, tacitæ conventionis ſpe decollante, ſerò nimis poſt tres menſes pro larvando crimine, & veritate adulteranda privatæ per veneficium prætexuntur Inſidiæ. Cujus equidem criminis nec per ſomnium, conſcium unquam fuiſſe ſcit, & teſtabitur Vniverſa trans-Alutana Valachia cum ipſum alte toties proteſtantem audierit quoties Maurocordatus (quem nemo amoribus natum crederet qui vidiſſet ſævientem) ut fœdiſſimæ Veneri ignes ſubjiceret, Cantharidibus in Aphrodiſiacos morſulos præparatis abuteretur. Quam enim facile vel ex tunc fuiſſet turpem hanc in Priapi paſcuis ſaginatam Scropham ſuo Doſis exceſſivæ arbitrio reliquiſſe, vel mox cruento ſuperveniente mictu, Lactis plenius ingurgitandi remedium non ſugeſſiſſe, ſi adeo pernicioſum opus Doctoris mentem occupaſſet. An ne adeo facile credendum erat Vaivodam vindictæ avidiſſimum, qui vel leviſſima de cauſa tot innocentes præcipuos Dynaſtas jugulaverat, cum extero exoſo reo adverſus vitam intentante mitius uſurum fuiſſe? eumque ſplendidis decoratum veſtibus, aulico carpento

in

in Cæſaream provinciam; ad Turcas (ad quos uti terreſtres dominos Doctor patriâ Macedo Caſtorienſis non Cephalenus ut Vaivoda blaterat provocando inſtabat) impedito tranſitu transmiſſurum? Hoc verumtamen eſt beneficium latronum ut iis vitam dediſſe glorientur quibus non ademerint: & cum apud timentem quisquis timeatur, criminoſique quicquid merentur ſemper expectent, ab omnibus forſan ſibi putat perniciem parari nequiſſimus ille, quia omnibus hoſtis neminem videt à quo debeat ſi juſtitiæ ratio habenda eſt, expectare mitiora. Occultis licet hoſtibus circumſeptus Turcici bene conſcius moris laqueo certius ſibi fore pereundum, funem finem, & MAVROCORDATO aliquid CHORDÆ non ſine nigro nominis omine à Parcis reſervari nequaquam ignorat. Glorietur Interea in malitia qui potens eſt in iniquitate; Vir enim ſanguinum & Doloſus non dimidiabit dies ſuos. Quod ſi congruum neceſſariumque adverſus Sycophantæ morſum cauterium applicaverim, absque veneno Aggreſſoris ſceleribus inſultaſſe nemo probus improbabit, & in ejusdem nequitiam me pro Amico & Veritate arma impugnaſſe, eatenus aliquantiſper dilata quia & reſipiſcere viſus expreſſo in relationibus publicis articulo ad reparandam famam honorificæ retractationis

ſpem

ſpem fecerat, & quòd disquiſita maturius cauſa artificioſis calumniatorum dolis neceſſariæ ſuſpicionis primordia imputando, Palinodiæ dedecus ſpeciosè evitari poſſe videretur: Quin Maurocordati per mercenariam Clericani typi, quam & latina ex Hollandia in Valachiam conducenda typographià majorem ſibi facere intendit, commoditatem inſolentiſſimum os obſtruendum fuiſſe unà mecum conveniet; cui ſilentium imponere licet ego non poſſim, imponet qui infamem vocem brevi Turcicus intercipiet laqueus: Frons enim Mulieris Meretricis facta eſt ei noluitque erubeſcere. Quemadmodum autem malis nequitia eſt ſupplicium, ita probis probitas eſt ſolatium, ut proinde nil mirum ſi Doctor Vanderbech ſua fretus innocentia, cum ſciverit Novelliſtas ſeu Diariorum Compilatores & Mendaces ſub eodem vexillo ſtipendia mereri juxta Hiſpanicum illud:

„*Nuevas y Mentiras Hermanas*,

Et Maurocordatum Angelo Sathanæ, qui eum colaphizet jampridem renunciaverit, * prætioſa temporis momenta nobilioribus occupationibus diſtinguenda, quàm Stulto juxta Stul-

* Dum hæc imprimerentur, perditiſſimus Maurocordati Filius horrendo fati genere è viventium conſortio ſublatus eſt.

Stultitiam ſuam reſpondendo terenda duxit. Recentem quo circa earundem lucubrationum fructum in ipſo hebdomadalis Itineris otio enatum, mihique plena facultate communicatum, in anteceſſum veluti deguſtandum Publico exhibeo. Cùm verò priſtinæ quietis imago affulgebit, quà antiqua ſtudia repetere liceat, ampliora ab eodem polliceor: Donec autem humanior fortuna vel potius providentia benignior arriſerit hiſce L. B. mecum Interim fruere.

OMNIBVS MEDICINÆ VERÆ INQVISITORIBVS

P.

NOn immerito HEROPHILVS olim authore CELSO dixiſſe fertur, MEDICAMENTA DEORVM IMMORTALIVM MANVS ESSE, cui addere juſtum fuerit, GRATIOSISSIMAS ET AD JVVANDVM PROMPTISSIMAS. Verumtamen neque ſemper periti Medici ad manus ſunt, neque ubique proſtant ſufficienter proviſa Pharmacopolia. Nunquid ad Empiricorum illorum caſtra confugiendum urgente neceſſitate, ſuadebimus, qui per fucatas levandi vias Morbos palliant, non evellunt? Avertant Superi: EMPIRICAM enim ILLVSTREM in terris ſemibarbaris & Pharmacopoliis carentibus, Medicinam facienti aut cordato Patri Fami-

lias ruri quandoque degenti ſiſtimus. Videlicet remedia quæ centrum non penetrant ſed ſuperficiem lambunt, haud iis ſubjicimus; vel talia quæ absque ullo gravi Methodicæ & Dogmaticæ Rationis pondere in omnibus ferme morbis indifferenter uſurpanda amethodico vulgarium Empiricorum more minime commendamus. Sed cum juxta CRATONEM a KRAFTHEIM 6. Conſil. Medic. L. II. Medicina Experta cum Ratione exhibita Plus Valeat iis quæ interdum ſubitò à Doctiſſimo etiam Medico Magna Ratione excogitantur, atque hac in parte Rationales Medici Empiricis ex Sententia HIPPOCRATIS cedere debent: poſt Inventam enim Medicinam quærenda eſt ratio, non poſt rationem quærenda eſt Medicina; Cumque multa fercula non tam multos morbos fecerint quam multa Medicamenta paucas hactenus curas: Superfluus quippe remediorum numerus ad diverſos vanos conatus practicos, evagationes & periculoſas inconſtantias ſeducit; de Paucis Familiaribus & facile parabilibus Medicamentis, Expertis tamen & quaſi Canonizatis comparandis & præparandis ſolliciti ad ferendas languenti naturæ ſuppetias in perarduis ſpinoſis morbis Septem defœcatiſſima à ſordibus nativis ſequeſtrata Hermetica Remedia communicamus. Septiceps igitur Hydra è Lerneo

Mor-

Morbonæ inſidiantis antro prorumpens, ſymptomatum fæcunditate infamis ſeptuplici Herculeo Remedio ſubjuganda venit: Adverſus hoc Gorgonium Caput, en vobis Perſei Scutum: Non vero hic proponuntur remedia obſcuri alicujus Medicaſtri ex temerariorum agyrtarum vagabunda praxi, vel vetularum quarumdam ineptis obſervationibus petita, ſed ex Polychreſtis ideſt Medicamentis multarum virium confectæ POLYACEÆ plurium morborum ſolamina; quarum Doſes dexteritati prudentiæque verſati Clinici variandas committimus. Hinc præmiſſa Diæta, quam ſanitatis conſervandæ vel amiſſæ recuperandæ Hodogetam cenſemus, ſeptem hæc adminicula judicioſe tractata conſtituunt magnarum curationum fundamenta: Vtroque enim Practicorum pollice approbata, longàque in arte Jatrica exercitatione conſtabilita, ad valetudinem ſtatuminandam, longis paraſangis ea Remedia Euporiſta præcellunt, quæ των θεῶν χεῖρες DEORVM MANVS ab Ethnicis apellabantur, Hecatombe ſanè redimenda Medicamenta.

HIPPOCRAT. in Lege:

ἡ ἀπειρίη κακὸς θησαυρὸς, καὶ κακὸν κειμήλιον τοῖσι ἔχουσιν αὐτήν.

REME-

REMEDIVM PRIMVM
EMPIRICA.

MAximum STOMACHALE, aut ſi mavis vulgarem phraſim CORDIALE eſt: Omne enim ſtomachale & cordiale eſt propter nervos à Sexto Pari oriundos copioſe in Ventriculo exiſtentes, ſummamque cum corde communicationem habentes, ob nervos itidem ex eodem trunco cordi inſertos: Non ſolum Stomachum & omnes intimas corporis fibras corroborans, ſed & proſtratas reparans vires & languentes ſuſcitans motus. Ideoque ad omnes debilitates, ſpirituum eclypſes, & ſoporoſos morbos deprædicatum, Juvenilem vigorem usque ad provectiorem ætatem fovet & conſervat. Vſus & Doſis quæ à quatuor usque ad duodecim guttas in vino aut juſculo conſtituitur, nullum ſenſibilem, uti vocant Medici, producit effectum, niſi quod in aliquibus per Vrinam aut Transſpirationem manifeſte præcipitat.

Remedium hoc paratur ex Cervina Carne contuſa, Vinoque Malvatico, aut alio quocumque Aromatico, Tokajano, &c., Meliſſæque ſucco humectata, per aliquot dies S. A. digerendo, & jusculum inde per Alembicum evocando, phlegma & ſuperfluam pinguedinem uti res ad ſcopum inutiles ſeparando. Qua præceſſa deſtillatione accipe Solis Limati aut tenuiter bracteati q. v. philoſophice calcina: diſſolve, & conjunge cum Q. Eſſ. Aeris & Terræ, quam ſolutionem è calcinato Sole ſæpius cohobando, dummodo artifex in re chymica peritus ſit infra paucos dies obtinebit. Diſſolutione tandem peracta Sulphur à corpore ſuo metallico ſepara, & à Q. Eſſ. Aeris & Terræ evoca. Hinc

℞. Sulphur. iſtius ℈j.
Eſſent. Cervin. Carn. ℥j.

Circula S. A. dein ad libitum Aromatiza.

METHODVS.

JVdicare quilibet jatrophiloſophus facili marte poterit ſingularis hujuſce Remedii virtutes à ſubſtantia animalis ſaniſſimi velociſſimi, & quod ordinario juxta curioſorum obſervationes diutiſſime vivit, dependere: quod enim Cervus fermentationes habeat conſtantiſſimas, âb his derivatur, quam tot ſcripto-

ſcriptores deprædicant Longævitas, & immenſa corporis agilitas. Hinc Cervos abbundare copioſo Sale Volatili quod ſub Veneris æſtu manifeſtatur, & aliàs per totam corporis peripheriam expanſum, particulas oleoſas & balſamicas, ſeu ſi mavis nutritivas in dies urget, ipſaque cornua perexiguo temporis intervallo in tantam protrudere valet molem; Quod eo magis pateret ſi verum eſſet quod Naturæ Conſulti ſcribunt, Cervum Febrem non ſentire, imo Totum Medicamentum eſſe. Ratum propterea animalis hujusce carnem ſubſtantiam eſſe reparandis & reſtaurandis tum fluidis cum ſolidis naturaliter aptam, præcipue vero ab aureis moleculis vel particulis animatam, propter ſulphur aureum compedibus ſuis extricatum. Licet hoc Remedium pari arte, non modò ex quolibet animali, ſed etiam pro pauperibus loco Auri, aureo de Martis proſapia Lapidis Hæmatitis ſulphure ſubſtituto, vel Antimoniali Philoſophico ſuccenturiante parari poſſit.

Inter diverſas quas Chymica Promptuaria circumferunt Auri Tincturas, præſcripta erit absque contradictione melior: etſi enim non pauci ſe Veras Auri Tincturas plus tamen de Sale quàm de Sole participantes, quæ aucupia ſunt crumenarum, non ſolamina

na

na miſeriarum, extrahere ampulloſe glorientur, tamen metallum quodlibet quemadmodum ſuis impuritatibus ſcatet, ita & moleculis indiſſolubilibus conſtat: cumque partes omnes diſſolvi nullo modo queant, vulgares Fumivendulorum Tincturæ Sophiſticæ & absque valore Putatitiæ tantum compellandæ veniunt; umbrasque colorum non virtutes præſerunt. Tincturæ nempe nomen amabile ſed non omnium admittit amplexus.

Verum equidem eſt Aquas Fortes communiter dictas, vel ſimilia ſalina corroſiva Menſtrua, quibus utuntur ſemi-chymiſtæ aliquam ſolutionis ſpeciem conſtituere: aſt ſicuti Vera Genuina & Radicalis Auri Solutio non in violenta quadam & ſuperficiali tantum diſſolutione, ſed in dulci ſubtiliorum partium diſciſſione & Suavi eſſentialium principiorum diviſione conſiſtit, auſim citra jactantiam dicere pro philoſophice diſſolvendo Sole, ejusdem intime reſerando Sulphure ac Tinctura elicienda melius reſſolvens quam ſupraſcriptum nullatenus reperiri.

Parari itidem deteges facilem, nec tamen infimi ſubſellii Medicinam valde inter reliquas STOMACHALEM ex juvenis perfecta valetudine præditi, jejunèque collecta

lecta SALIVA, dummodo per philoſophicam artem cum prælaudata Medicina Auri, quod corroſiva repudiat, uniatur ac intime conſocietur. Cujus equidem tenoris Remedio quidam ROSEI COLLEGII Socius, Medicus Feliciſſimus

„ *Nunc Superæ donatus ſedibus Aulæ*

quemadmodum curationes prorſus admirabiles & ferme incredibiles per Europam (quam totam in Medicis juxta Inſtitutum excurſionibus peragraverat) magna cum nominis celebritate perfecit, ita earumdem nemo mirabitur qui Naturam & Elementa Salivæ, mixtumque quod ex Auri conjunctione formabitur, apprime noſcit. Hoc etenim Menſtruo Microcosmico Vniverſali, Specifico tamen & connaturali homini, ſuccos Gaſtricos, Stomachicos, & alios Duodeni Juvante, Stomachalem Succum, Pancreaticum, Bilem, totamque ſanguineam maſſam effectus utiliſſimos experturam indubium eſt.

Ad ſuſtinendos ſiquidem languidos extenuatosque ſenes requiruntur Remedia irradiatione operantia, actione viſcerum deficiente totam corporis ſphæram anguſtiſſimosque partium tubulos permeantia, quæ citra vel minimum laborem ſtomachi aut ullam virium deprædationem ſolidorum flaccido-

rum tonum remittunt, vigorem reſtituunt, reconectunt. Eapropter etiam Apoplecticos ſæpe reſtitui ac recuperari videmus, cum materià diſcuſſa in cerebro ſpiritus animales iterum emanarint, ſicque redierit Cordis Motus, ut Horologio reſtituitur motus appenſis ponderibus: nec non illos qui in extremo agonis diſcrimine conſtituti videbantur, iterum reviviſcere, ſicuti non raro Hypochondriacis, Hyſtericis, &c., accidiſſe per ſuperius attactum remedium aut aliud anti-Apoplecticum juxta præſcriptam methodum paratum, diurna praxis oſtendit. Quoniam ſuis moleculis ſolidis & ſubtilibus omnes etiam remotas ægri corporis fibras penetrando, novum ipſis vigorem conciliant, novam blandam ſuavemque auram iisdem inſpirant, & ſic amiſſum reparando ac renovando tonum, priſtinum motum ſuſcitant ad removendam ſuccorum quietem, cui inevitabile mortis fatum ſuccedit. Opinandum eſt enim omnes Acutos Morbos, dum fibrarum motus intercidit, quamdam Apoplexiæ ſpeciem producere, ſicuti in iis aparret qui ex aliqua violenta febri convaleſcunt; quoniam vel amittunt, ſaltem ad tempus aliquod, unum alterumve ſenſum, vel remanent proſtrati viribus & in nervoſo ſyſtemate languidi debilesque: Et cum hactenus recenſita incommoda ex unica fibrarum

rum laxitate aut reſolutione, aut glandularum corticalium in orificio nervorum obſtructione dependeant, libero ſpiritibus circuitu denegato, Mæningum ſuppreſſo motu, omnia exarata ſymptomata à levi quadam Apoplexiæ ſpecie derivari, ſuamque originem trahere conjiciendum erit.

REMEDIVM SECVNDVM EMPIRICA.

PRo Arena, CALCVLO, Lapide & qualibet ſaburræ aut tartari ſpecie in urinariis meatibus SPECIFICVM eſt. Optimum quocirca cenſendum in Aſthmate, Stranguria, Podagra, &c., ſicuti in Theoria Methodica inferius oſtendetur.

Fit autem ex Calcedonio (illa vero ſpecies inter reliquas commendatur, quæ in Tamiſio flumine reperitur) calcinato, extractoque S. A. Sale, Aquam Pluviam aut Nivis fermentando & deſtillando, deſtillatam aquam iterum fermentatam redeſtillando: cujus Vnciæ quinque aut novem cum uno dicti Salis ſcrupulo conjunctæ unam duasve doſes conſtituunt. Remedium hoc per alvum rarò, per Vrinam verò præcipue operatur.

METHODVS.

NOn ſolum per particulas flexibiles aqueas, quæ leniſſimo fermentationis obſtetricante

cante calore peculiarem Liquoris Sphæram conſtituunt, penetrando, ſe intra omnes corporis poros ac meatus inſinuat, hoc Remedium operari conſtat, ſed & per ſalina ſpicula ex quibus componitur, quæ in ſubtiliſſimas atomos aquæ medio diviſa, tartarea aggrediuntur corpora & peregrina coagula lacerant atque diſcerpunt, ipsà quoque interim aquà etherogenea vitioſa ſalia diluente diſſolvente præcipitante atque per tubulos Hydragogos & ex hiſce per papillarum oscula, Pelvimque eliminante.

Animadvertendum enim, licet ob deffectum particularum oleoſarum in ſanguine Salia Volatilia ſui juris facta glutinoſos humores combinent & coarctent, atque tandem cum ipſis in Duelech aliquando concreſcant, Arenam tamen vel Calculum natales ſuos vitioſo Lithiaſeos Characteri & Gorgonico Seminali principio nequaquam debere, ſed potius eosdem agnoſcere ex particulis craſſioribus Chili, quæ in primis viis ſufficienter non diſſolutæ aut ſubtiliatæ, intra ſanguinem mox ſuſceptæ, cum ab illo diſſolvi & ulterius alterari nequeant, præcipitantur derelinquuntur & ſubſident; quarum pars mucoſior in renum meandris & ductibus glomerata, pars in manibus pedibus pectore depoſita ac relegata, Calculum Podagram Chiragram Aſthma

ma Pthiſim & contumaces Meſenterii Obſtructiones producunt, ex quibus tot Chronici Morbi propullulant ſat doloroſi, ſæpius etiam periculoſi. Hinc Calculos non tantum in renibus & veſica ſed & omnibus corporis humani partibus ſubnaſci ex obſervationibus undique collectis propriaque experientia oſtendit oculatiſſimus Francus in Lapidicina Microcosmi.

Verumtamen inter reliquos Morbonæ aparratus Calculoſa concretio ex accurata cruſtularum ſeu ſtratorum congerie tamquam S. S. S. inductà augmenta capeſcens in ſinuoſis renum latibulis, pertimeſcenda, quoniam hæc peregrina duriora corpora veluti cæmento incruſtata non ſolum Renum glanduloſa cribra ac pelvim obturant, ſed & Parenchymatis ſubſtantiam dum atterunt corroduntque, angulorum inæqualium aſperitate, Vreterum membranas lacerant atque diſcindunt; acerbiſſimos inde producendo dolores, irritationes ſpasmodicas, vomitus, inflammationes, abſceſſus, aliasque mille lethalium conditionum tragædias. Remedium ſanè vel ideò æſtimabilius quia & familiares in uſus revocari poteſt, & nullam nocumenti aut ſecuturi damni aſſumentibus ſuſpicionem incutiens ægrotantium elogiis gaudere poteſt.

REME-

REMEDIVM TERTIVM
EMPIRICA.

PRæſentaneum hoc eſt adverſus omnes HECTICAS & Colliquativas FEBRES, quod ſicuti ab iisdem cito citius liberat ita & contra Tertianas, Refractarias Quartanas Galenicorum Ludibrium, aliasque Chronicas Febriles Periodos utiliter adhibetur. Doſis ab uno ad quatuor Scrupulos in Jusculo aut Cereviſia, ſepties repetenda nullum producit effectum ſenſibilem, quia peregrina maſſæ ſanguineæ fermenta inſenſibiliter tantum corrigit & ſubigit.

Conflatur verò ex Sale S. A. extracto ex Cancrorum teſtis, Ovorumque corticibus maxime è quibus pulli excluſi ſunt qui Silicum regeneratorum ſoboles eſſe ſolent, ſi enim arena gallinis in escam denegetur pariunt Ova ſine teſta; unà cum Arcano Aluminis Rupei, Lapideque Hæmatite ad normam Chymicam conſociato.

METHO-

METHODVS.

PRæcipua hujusce Remedii virtus ac effieacia tam bene deducitur ex quibusdam particulis ſubtilioribus Salis Animalis, quam ſimilibus Cubicis ALVMINOSIS, quæ prælucente Experientia omnes liquidorum efferveſcentias, confuſiones aut ſi mavis fermentationes, PRÆCIPITANT & pacant. Ideoque ſaluberrimi uſus in pacandis præfatis Maſſæ Sanguineæ emotionibus, peregrinis dulciter præcipitandis fermentis, ſe intra omnia viſcerum interſtitia inſinuando, omnesque cavitates exotico fermento infectas liberando defæcandoque, tonumque fibrarum ac elaſticitatem reſtituendo. Siquidem Febres Hecticæ & hujusmodi Erraticæ ac Lentæ Tabidis familiares, dum evaneſcit & tollitur æquilibrium, ſymetrià videlicet ſolidorum cum liquidis propter motuum inæqualitates & digeſtionum irregularitates ceſſante, invaleſcant; eapropter hujuſce characteris Febres earumdemque cauſæ, ſicuti reliquarum febrium acceſſus, neque adeo facili negotio cedunt, neque per digeſtiones communes & ordinarias Criſes judicantur; imo Refractariæ, inſtar plumbei globi aquæ bullientis motibus ſua gravitate haud obſequentis, omnibus naturæ conatibus contumaciter reſiſtunt.

Sub-

Subſequente interea tabe corporis & conſumptione, ſubtiliorum balſamicarum oleoſo-volatilium particularum diſſipatione, aliisque hujuſce typi ſymptomatibus, fruſtra tentatis Remediis Emplaſticis Incraſſantibus ac Edulcorantibus, quicumque modum præprimis reperire ſtudet duras & compactiores moleculas confringendi, ac febrilem irregularem motum invertendi, de hujuſce ANTI-HECTICI Remedii utilitate & ſalutarium effectuum probabilitate faciliter judicabit.

REMEDIVM QVARTVM
EMPIRICA.

SIngulare pro Eroſione Pulmonum, Arteriarum, Tracheæ, aut aliis Pectoris læſionibus in HEMOPTOYCIS ac PTHISICIS deſperatis. Doſis à ſex ad grana duodecim ſæpius uſurpanda; aliquando vero cum præcedenti Anti-Hectico conſociata, effectus haud dubii in vitioſis phlegmatum materiis incidendis, ulceratis partibus reuniendis, pulmonumque orgasmo pacando & demulcendo.

Præparatio verò conſiſtit in Sulphuris Oleo, Saturnique Sale in ferrea cucurbita mixtis, moderato igne ſuaviter ad ſiccitatem evaporatis: tandemque Sulphure cum Sale conjuncto S. A. edulcorato.

METHO-

METHODVS.

REmedium mehercle Inſigne, propter Sulphuris Saturnique particulas effluviis Martialibus nobilitatas, quarum ſpicula ex mutuo conflictu & Ignis accedentis potentia mutantur, moderata evadunt & in ſalutaria modificantur. Quandoquidem morbus iſte progignatur ex anfractuoſitate & complicatione vaſorum, quibus acriores ſanguinis partes adhærent, texturam inficiunt, ſtagnantesque ibi materias acres purulentas & viſcoſas ſemper aggregando, corroſivum induunt genium; pro genuina agnoſcemus causà Realgarina Acutiſſima Salia exulcerantia & phlegma coagulantia; Mellis obſervatione ſuffragante quod in igne repoſitum ſe ferme totum in viſcoſam ſpumam convertit: Siquidem propter igneorum ſpiculorum motum ſe per vaſis poros inſinuantium, ſeque invicem cum melle agitantium ac permiſcentium, quousque durat ignis, mellearum particularum nexus invertitur & confunditur.

Conjiciendum propterea Morborum ſimilium curationem per ſpirituoſa aut Volatilia Odorifera, Balſamica communia & vulgaria perfici nequaquam poſſe: Hæc enim magis agitando, acrimoniam exacuendo, facilitant citius fibrarum diſruptionem, humo-

rumque diſſolutionem exaſperant non edulcorant. Quodſi æger levamen aliquando ſentiat, aliquæ ſunt potius induciæ à Remediis Palliativis productæ, quam ſolidi perfectæ curationis fructus; quoniam poſt horum uſum aparrens levamen, quod ex facilitate & quantitate excreatorum perſentiunt, neutiquam conſtans eſt, dum propter acuta quibus ſcatent Salia, pulmonum eroſionem facilitant, purisque productionem intendunt. Ideoque Remedia magis conveniunt Inſipida, quæ inſtar præſcripti, dummodo vulnerariis & fixis moleculis conſtent, activa magis exiſtunt.

REME-

REMEDIVM QVINTVM
EMPIRICA.

NOn tantum omnes obſtructiones aperit, ſed & edulcorat omnia acida Salia, & acria retundit Scorbutici Sanguinis ſpicula, vel ea exiſtant in Stomachali ſucco, Saliva, aut Lympha, aut Pancreatico latice implicata deliteſcant. A Scrupulo ad Dragmam in Juſculo, Lactis Sero, ipſoque Lacte feliciter exhibetur per aliquot hebdomadas continuando, levi tamen aliquo Laxativo præceſſo.

Paratur verò ex Regulo, Alabaſtro, Chryſtallo Montana, ac Marte, lavando in Aqua communi, cum aceto, Hirci & Anſerum Sanguine: dein partes diſſolutas in formam Magiſterii Vnctuoſi Dulciſſimi ſeparando.

METHODVS.

SCorbutus Herpes & alii cutanei Morbi ulceroſæ corruptionis periculum foventes, ut plurimum producuntur à Salibus, quæ de tempore in tempus mutantur & juxta variationem digeſtionum Maſſæ Sanguineæ, ſub cute collecta eamdem irritant & vellicant, imo in eroſivas mali moris exulcerationes ſerpunt, ſuasque intime radices dum jaciunt, morboſa incommoda vel in articulis, Hæmorrhoidibus, Capite, &c., exinde progignuntur.

In hujusmodi verumtamen morbis aliisque hujus indolis inter ſe ſororiantibus affectibus, Beccabunga, Cochlearia, Naſturtium, &c., à non infimi nominis Medicis hactenus uſurpantur: Sed cum hæc ſimplicia activis valde particulis conſtent, apta erunt exaltandis magis acuendisque ſalibus, quam edulcorandis aut retundendis. Recurrendum quo circa ad hujuſce efficaciam Remedii, quæ in eo præcipue conſiſtit, quod poros habeat oblongos rectosque per Chymicam artem apertos, quibus vitioſas liquidorum particulas amicabiliter abſorbet, acidosque lancinantes mucrones hebetat; & cum moleculæ ſint leviſſimæ, eò uſque natant in chylo, quò etherogeneis atomis ſaturatæ & onuſtæ per excretorios ductus eliminentur.

RE-

REMEDIVM SEXTVM
EMPIRICA.

SPecificum eſt adverſus Plevritidem, eademque fidelia ad Febres Calidas opportunum: ad eas vero præcipuum, quæ Pulmonum aliorumque viſcerum comitantur affectus, quasque Inflammationes communiter appellamus. Reprimendo ſcilicet fluidorum Orgasmum, & violentos ſolidorum motus pacando: unde & in Malignis Febribus uti poſſumus, in quibus tumultuarias effervefcentias & turbas ſedando, omnes Digeſtiones exſuſcitat, & reliquas naturales actiones reſtituit, moleculas diſſipando vitioſas per Tranſpirationem & Vrinas, à ſex ad grana duodecim in Aquæ Cyatho ſæpius uſurpatum. Paratur verò ex Opio philoſophice defœcato & partibus etherogeneis ſpoliato, quod in Aqua Roſarum coctum & diſſolutum S. A. cum aliqua proportionata Succini quantitate conjungitur & maritatur.

METHO-

METHODVS.

OB effectus admirabiles, quos Opium diverſa licet tractatum Enchireſi, in qualibet Medicinæ ætate produxit, Maxima Medicinæ Columna audit. Multi enim ſunt, qui Opium cum HARTMANNO DIVINVM REMEDIVM & Magnum Arcanum in Medicina apellant. Multi cum WILLISIO Opio Artem carere non poſſe aſſerunt, alii verò cum Clariſſ. DE LE BOE SYLVIO (unde & OPIATOR dictus eſt) Malle ſe Medicinæ renunciare quàm Opio carere faſſi ſunt. Hinc LAVDANVM ob vires quas exerit LAVDABILES vocitant, & Nepenthes apud Homerum, Remedium Elenæ fuiſſe dicitur, quo omnes e corde languores & ægritudines ſuſtulerit. Quodſi noviſſent Veteres Morborum & Remediorum naturam, quæ hoc ſeculo eruditiſſimo patet, efficaciores prorſus percepiſſent effectus. In hoc enim Præſentaneo Remedio quod apellari meretur LAVDANVM PACATIVUM ARCHEI, vis Opii Narcotica per ignis actionem & philoſophicam mixturam Succini ſupprimitur & caſtratur. Tametſi ad ipſius exaltanda encomia, longæva experientia feliciſſime comprobatos eventus haud perſcribam, Sapiens ac Eruditus Lector ſufficientes inveniet Apologias, ut tanti Remedii,

in

in motu ſpirituum blande remorando, Dignitati Authoritative patrocinetur.

Verum enim vero Febres, quæ ad Pulmones præcipitant ac vitioſa deponunt recrementa, reliquaſve Maſſæ ſanguineæ ſuperfluitates, non ſolum ab iisdem foventur, ſed & ex nimium violenta fluidorum fermentatione, convulſivum Solidorum motum nimia vaſorum tenſione cauſante, vel maxime producuntur, ex quibus dein extravaſatus ſanguis viciniores partes comprimit & exagitat. Extenſio & Compreſſio iſta Vaſorum obſervabilis æque in centro ac in corporis peripheria, hinc denegata tranſpiratione, repercuſſis illinc vaporibus ad regularem Machinæ motum invertendum, quotidie percipitur.

Quò circa in affectibus hiſce, Phlebotomià, ſi tempus & vires ſuppetant, haud neglecta, quemadmodum ſedulo ab illis Remediis cavendum, quæ vaſorum tenſionem & fermentationem adeo vel intendunt vel exaltant ut fracturæ periculum ac disruptionis immineat; ita nil hoc Laudano Pacativo utilius uſurpantes, ad Acidum aut Alkali juxta ſolutiones & coagulationes à ſanguine indicandas haud amplius confugient Medici, ſed ad tenſionem potius aut flacci-

ditatem fibrarum, ex quibus tot cáſus mutationesque ut plurimum in ægris contingunt, animo viribusque incumbere opportunius ducent.

REMEDIVM SEPTIMVM
EMPIRICA.

SIngulare adverſus omnes affectus VENEREOS Inveteratos deprædicatur. Præcipuum vero ad Hydropem, Epilepſiam, Catalepſiam, & generaliter ad omnes Nervorum Anomalias. Siquidem blandum Vomitum, & absque violentia excitando, ſudoremque dein ciendo, brevi temporis ſpatio, effectus exoptatos producit.

Exhibetur à quinque ad grana duodecim, optima interea poſt abſolutam operationem ægro juſcula ſorbillanti. Paratur autem ex Cinnabari Minerali præparato & Vitrioli Sale optime dulcorato, addita S. A. tertia Auri Horizontalis parte.

ME-

METHODVS.

OMnium ferme morborum curationes per Emetica aggredi, non ſolum hodiernæ praxi ſatis vulgare eſt, ſed & peritiores Medici expedire conſentiunt: Quorum uſus nec temere nec timide commendatur; Vomitus enim ad omnium aut plurimorum morborum præoccupationem inſervit. Hinc recte Hartmannus in Praxi Chymiatr. dicit in Febribus Malignis curandis non poſſe feliciorem inveniri modum ad malignum morbi genium in herba ut ajunt ſuffocandum, quam qui à vomitione incipit: Licet quatuor vomitiones plus debilitent quàm decem per alvum dejectiones.

Præcipua tamen hujusce Remedii virtus deducitur ex Mercurialibus Cupreis & Aureis ramentis, quæ acidorum ferociam edomantia ac expugnatia, ſunt vera hujusce morbi luxuriantis Specifica. Tota vero efficacia dependet ex artificioſo Chymici laboris opificio, quo ſubtiliores ad caſum noſtrum eligantur particulæ, Mercuriales præcipue, gladiolorum inſtar fodicantes, & viſcida firmiter cohærentia diſcerpentes, reliquis venenoſis & ſulphure Minerali pollutis, domitis & ſegregatis: quæ deleterio charactere ſignatæ, potentes ſunt in animali corpore, impreſſio-

preſſiones valde noxias nervoſo ſyſtemati relinquendi. Hinc abſoluti atque emendati ANTI-VENEREI numeros implebit.

De Morbi Venerei Theoria ſuos natales ducentis à Copula aliqua Prodigioſa (qualis Helmontii Amico per ſomnum forſan detecta fuerit) nihil addendum præſentibus duxi, cum Opuſculum ſeorſim edendum reſervaverim de hoc Morbo admodum pernicioſo, in tria diviſum, juxta totidem ætates, Capita, cui titulus MVNDVS INFECTVS.

Præſtolare & hiſce Interim Fruere

L. B.

ALE-

ALETHOPHYLI COSMOPOLITÆ
DE AVTHORE ERVDITISSIMO
SOMNIVM POETICVM.

*

GRæcia Docta Olim, Genitrix fœcunda Sophorum
Quid Longo Sterilis Tempore Spreta jaces?
Singula cumque Sophos viderunt Sæcula ſeptem,
Vnum Inter Septem Sæcula Pande virum.
Vix ea fatus eram: VANDERBECH Illa retorſit
Vnus pro Septem Sat Mihi Solus erit.

*